





07  
1819,5c  
21

DISSERTATIO IN AVGURALIS JVRIDICA

DE

# AEQVITATE SVCCESSIONIS CONJVGVM

QVAM

PRAESIDE  
JO. PAVLLO KRESSIO

J. V. D. ET P. P. ORDINIS SVI JAM DECANO

PRO CAPESSENDIS IN VTROQVE JVRE  
SVMMIS HONORIBVS

PUBLICE ERVDITORVM EXAMINI  
SISTIT

JO. GVILIELM GEHLER  
GORLICENS. LVSAT.

IN JVLEO MAJORI ACADEMIAE JVLLIAE

A. MDCCXIX. DIE SEPT. XXX.

---

HELMSTADII  
TYPIS BVCHHOLTZIANIS.  
RECVS. MDCCXXXV.

DIGITIZED BY THE MUNICIPAL LIBRARIES OF MAGDEBURG

ABOVIATATE  
SACCESSIONIS  
CONVAGAM

10. APRILIS 1710  
BRUNSWICCI

IN QD ET P-A ORDINES IVI IMPERIALES  
QD GESCHENKEN IN AUTORE THER  
THERMIS DEXCORUM  
TABLOE RYKSTYCK MUSICALIS  
THER  
10 EYLIERI M GENEBR  
IN QD D' AYON ACADEMIE ALLEME  
CENSUS

THESS DUCHHOFTEIANI  
REGIA MDCCXXII



## PROLEGOMENA.

### §. I.

**P**Vffendorffius, quem fama inter Eruditos exaltavit, vix ab ullo taxabitur, quod Philosophiam pro fundamento infallibili omnium reliquarum scientiarum vendit; ex hujus vero disciplinis Jurisprudentia sibi Jus Naturæ, tanquam utilissimam Philosophiæ practicæ partem, quippe quod tradit regulas actiones suas ad finem optimum dirigendi, attribuit. Hujus universalis itaque disciplinæ principia adstabilendum jus cuiuslibet civitatis, applicari deberent, sed ex multis legibus ac mandatis appareat, hoc piis desideriis merito adnumerandum esse, & aliquando legislatoribus si non contraria, certe diversa placuisse satis constat. Vnde quoque aliter fieri non potuit, quin saepius connexio in juribus humanis desit. Ut facile ostendi posset ab illo, qui circa quædam jura specialia curiositatem exercere vellet.

### §. II.

Imo eo res juridica delabi cœpit, ut multi juris sua opinione periti existiment, principii loco sibi singulis veluti

veluti periodis commendandum esse illud fatale carmen *Voluntas Principis summa lex esto.*

§. III.

Solatio his esto; Philosophiam practicam, sapientissimum Reipublicæ judicem, etiam hoc approbasse principium, & posito, sapientia philosophicæ præsupposita non favere Principi, nunquam tamen consiliarii ei desunt, quorum collegium, quidam sapientes concomitentur. Et hi facile prudens principis arbitrium cum regulis naturalis juris component, modo velint.

§. IV.

Enim vero prædicta regula principiis philosophicis temperata, potest quidem jurisprudentiæ aliquod principium constituere, sed tantum secundarium. Generale igitur, primum ad hanc materiam examinandam sufficiens, rationique consentaneum necessario quærendum erit.

§. V.

Neminem laboris penitebit, qui pro invenienda communi regula practica, hominum sedulo naturalem inclinationem observare tentat. An amare, an odio prosequi, an bona, an mala sibi apparet soleant. Sane quilibet se amare, & id quod suæ conservationi expedit, appetere videtur. Ad hunc ergo finem obtainendum actions dirigendæ sunt. Hoc etiam in præteritis seculis vitam degentes non latuisse, ex trito innotescit proverbio: *Quilibet fortuna sua faber.* Vitam vero solitariam eligens sane hic exiguo faciet progressus. Nam tum demum vere nobis bene fialiis simul bene sit; unde præceptum: *Dirige actiones tuas ad tuam aliorumque perfectionem,* regula desiderata erit.

§. VI.

— ( 3 ) —

§. VI.

Nec fecunditas huic regulædeest, si ergo medi-  
rando pergas, videbis, actiones nostras respectu aliorum  
præsertim debere ad eorum perfectionem tendere, qui  
nobiscum constituant societatem, quæ dicitur multi-  
tudo hominum, in qua singuli omnium, & omnes singu-  
lorum perfectionem pro viribus promovent, habebis  
ergo regulam: *Dirige actiones tuas ad tuam, socio-  
rumque perfectionem.*

§. VII.

His in genere præmissis, progredimur in specie ad  
societatem Conjugalem, & ad eandem regulam no-  
stram applicabimus.

CAP. I.

DE

SOCIETATE CONJUGALI.

§. L

In ter societas humanas, vix arctior & adstrictior da-  
tur, quam conjugalis, quidpe quæ & animæ &  
corporum conjugatione constat. Accedit quod in  
aliis societatibus non intentetur perpetua conjunctio  
vel cohabitatio, nec, tam exactum utriusque fortunæ  
consortium, uti quidem in nostra.

§. II.

Vnde quo arctior & sanctior hæc societas est, eo  
quoque majorem communis boni, communis felici-  
tatis, sive perfectionis curam desiderat, quomodo enim

A 2

alias

alias tot adversitates, tot infortunia, tot remore, quæ conjugibus instatu suo passim objiciuntur exsuperari possint; ni alter salutem alterius curaret, & alter alteri adjumento esset.

§. III.

Absolvitur autem quicquid hic subest officii unico amoris vocabulo. Incipit vero hic affectus, si bene ordinatus a seipso quidem, transit tamen simul ad personam amatam, & in illa acquiescit. Non otiosa tamen & inepta quiete, sed continua vivida læ itia, quæ sui & personæ amatæ perfectioni ac beatitudini perpetuo intenta est, eamque intentionem fas demonstrat.

§. IV.

Licet igitur ab aliis plures virtutum species efformentur & multa exactitudine a se invicem distinguantur, attamen solius sani amoris consideratio, isto labore omni supersedere & hunc, pro omnium virtutum complexu & compendio, ut quoque in utriusque fœderis sacri tabulis jamdiu factum est, venditare jubet.

§. V.

Vtterius cum amor non suum unice lucrum quærat, sed potissimum bonum alterius intendat, inde fit, ut licet pro complendo personæ amatæ gaudio, hilariter illius officia & beneficia sibi exhibita acceptet, tamen semper simul de quodam veluti redhostimento sollicitus sit. Quam sollicitudinem grati animi officium, vel gratitudinem vulgo appellamus, quæ virtus ubique genuini amoris comes est.

§. VI.

¶ ( 1 ) ¶

§. VI.

Ex quo consequitur, quod idem amor eadēm vestigia etiam inter conjuges premat & eandem methodum servet. Adeoque recipiat pronta lataque mente, a persona associata, quae sine insigni illius animi ægritudine recusare nequit, interim semper simul de retribuendo referendoque pari cogitet atque meditetur.

§. VII.

Experimur vero præterea quotidie, quod non in infinitum licet conversare cum persona amata, sed quod mors sœpe vel inter invitatos confortium rumpat. Omnia autem bona esse dicimus, clausula quando bona, finisque quando bonus est. Itaque genuinus amor de hoc fato humano quoque curam sufficit, & eo, ut finis bonus sit, allaborat. Ait finis per nudam animi contestationem de benevolentia exhibenda, vix bonus est, nisi aliquid veri officii, effectusque, ut loquimur realis, accedat. Vnde conjuges cum jam in eo sunt, ut fato ita decerente se derelinquant, merito pariter de ejusmodi ultimo amoris complemento anxii sunt, atque eo respiciunt, quo quantum in ipsis est, exculti in sua vita amoris, fructum persentiat superstes, sed quem alium potius, quam ut illi, bona sua secundum prudens rationis arbitrium addicent. Quæ meditatio nos sensim ducit ad dispectionem de conjugum officiis circa testamenta.

CAP. II.

DE

TESTAMENTIS CONJUGVM AD  
DVCTVM PRINCIPIORVM SANÆ RATIONIS.

A 3

§. I.

**I**ntricatum notum est, quid circa testamentorum institutum res in utramque partem disputetur. Romani ex quo semel apud illos in usu esse coepit, illud mirum in modum commendarunt, quasi nihil amplius homini debeatur, quam ultimum aliquod elogium condendi libertas, quasi ad pietatem viventium pertineat, emortuorum ultimas voluntates religiose exequi, & pro lege custodire atque habere. Imo circa interpretationem omni possibili modo subveniendum esse in ultima voluntate dispositis, eamque in dubio interpretationem, feligendam, quae facit ut testamentum subsistat praetilla, quae facit ut pereat. Plane jus testandi adeo cui libet homini inhærere crediderunt, ut illi, quamvis sciens, volens, nequidem renunciare possit. Recentioribus autem quibusdam aliter visum est, putaruntque testamenta, cum fiant de bonis in illum eventum quo amplius in domino testantis futura non sunt, esse institutum absurdum: deinde plerumque inservire avaritiae, ambitioni, vindictaeque cupiditati testantium, suisque familiis non bene cupientium. Tandem testamenta esse fontem & nutriculam litium, non tantum propter tot altercationes aliquando de sensu verborum, sed præcipue propter disputationes de illorum solemnitatibus, quas rectæ Scævola miseram diligentiam jam pridem dixisset. Vnde multo sapientius esse dicterium Germanorum: Wer will wohl und selig sterben / der lasse sein Gut den rechten Erben.

Enim vero hæc omnia non evincunt, testamen-

ta

ta esse per se rem absurdam, affectuum malorum plenam, litesque serentem. Nam translationem juris irrevocabilis, testamentis, ob varia incommoda, quæ inde in testantem resultare solent, non sine ratione ademerunt Romani. Imo post mortem jus demum non de novo transfertur, sed translatum firmatur tantum stabiliturque. Deinde licet negari nequeat, quin hominum passionibus malis interdum inserviant testamenta, hoc tamen ad abusum solummodo pertinet, rei per se innoxiae, & ad exserendum bonum quoque affectum aptæ. Tandem & lites pertinent ad vitia testamentorum, vel hominum extraordinaria.

§. III.

Recte id circa nos facturos putamus, si & conjugibus, tanquam aptum suam gratitudinem ostendendi medium commendamus testamenta, genuina scilicet, aperta & candida, quæ neque verborum perplexitate, nec rituum defectu plus damni quam commodi afferunt parti superstici. Secernamus tamen insuper aliquod casus.

§. IV.

Primo quærere licebit, an sana ratio permittat, ut conjux conjugem instituat heredem, si conjux adhuc parentes habet. Nos quæstionem affirmamus. Nam 1. parentes nequidem ipſi, liberorum suorum heredes esse optant ordine mortalitatis turbato. 2. Dum liberos elocant, ipſisque separatam cœconomiam stabilunt, & bona quædam largiuntur, imo iisdem postatem concedunt, de his bonis e proprio judicio dispo-

disponendi, illaque alienandi, testandi quoque simul licentiam dedisse videntur. Accedit, quod regulariter parentes conjugum sint homines senes & prope ad porticum mortis constituti, qui bonis non adeo indigent, ac superstes conjux, qui hoc casu regulariter vegetioris aetatis est, pluresque annos adhuc vivit. Sed haec omnia in thesi veluti adserimus, aliquando enim rationes prudentis amoris, parentes v. c. si egeni, conjux superstes dives, si bene de defuncto meriti, conjux autem male meritus, &c. præfere jubent.

## §. V.

Fratribus & sororibus abstrahendo a specialibus circumstantiis, in testamento pariter sanæ rationi conformiter præferuntur conjuges. Partim, quod conjux superstes sit regulariter communis acquæstus concusa, non autem fratres, partim quod jam semel conjuges inter vivos bona vitamque sibi addixerint, ut arctiori vinculo illorum societas, quam fraterna constringatur. Ut taceam, quod tempore calamitatis atque infortunii fratres & sorores res suas seperatim habere, illorumque gratiae raræ esse soleant, cum inter conjuges vicissim obtineat illud antiquum TACITI: *sic vivendum sic pereundum.* Quare conjux tanquam magis constans & fidelis sodalis, circa hereditatem, quam propria industria hactenus tuitus est, ampliori quoque præmio condecorari debet. Imo & civilibus legibus in arguento defensionis, injuriarum, parricidii &c. major ubique ratio conjugis, quam fratrum habetur, ut facile constabit jus nostrum animo perlunganti.

## §. VI.

§. VI.

Ast si ad liberos pergitimus horum potior utique conditio est. His enim ab ipsis conjugibus tam probis & officii sui satagentibus, quam quoque ab improbis & dictamina rationis, circa officia erga proximum spernentibus, hæreditas communi voto destinatur. Præcipuoque jure præ conjugi e proprio veluti nuptiarum pacto merito hic fruuntur. Sane societas conjugalis, ad propagationem & educationem sibolis, initur, qua de causa, cum procreatio & educatio sit finis, etiam media non deneganda sunt, nam qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia. Hinc parentum est, in annis teneris liberorum majorem adhibere curam perfectionis eorum, quam propriæ, & annis profectioribus, cum pecunia in manu proborum sit instrumentum se perficiendi, aliis beneficiandi, siquidem nervus rerum gerendarum dicitur, ut proinde non sine causa prospiciendum sit de opibus & pecunia liberis.

§. VII.

In officiosum ergo esset factum, si moribundus coniux superstitem, liberis levitate animi exheredatis, unicura heredem institueret, quo fieri posset, si superstes ad secundas convolaret nuptias, ut liberi omnia bona quondam acquirenda perderent & sic in miserrimam conditionem detruderentur. §. VIII.

Optimum ergo est, cum liberorum perfectionem detimento conjugis superstitis, promovere non liceat, ut scissio in æquas partes patrimonio, si coniux & liberi equalibus partibus heredes existant. Administratio autem ceteris paribus rectissime conjugi super-

B

viven-

• 10 •

viventi relinquitur, ut jam diu in suo testamento ob-  
servavit Megalander Luthorus.

§. IX.

Minime vero probandum duco votum eorum, qui  
superstitione & aqua interdicerent, atque si a superio-  
ribus concederetur eundem ad intolerabile pistrinum  
condamnarent, aut plane studio partium abrepti, cum  
conjugis damno bona propria augerent. Regula enim  
inventa, nos aliud docet & qualis gratitudo foret, si su-  
perstites audiire cogeretur, accipe tantum quæ tua sunt  
& sic loco gratitudinis tantummodo, quæ nisi quis fur-  
tum faciat, ei detrectari nequeunt, sane hæc esset nova  
gratitudinis species.

§. X.

Officiis Conjugum, in testamentis conficiendis  
paucissimis hisce secundum regulam generalem propo-  
sito nostro sufficienter perpenfis, tantum unicum mo-  
nendum restare judicamus. Cum nimirum gratitudo  
cap. I. §. 5. ex consideratione boni nobis ipsis facti ori-  
atur, facile colligendum est cuiuslibet libero arbitrio re-  
linquendum esse, quomodo eam exercere velit, quare  
iniquum foret, blandirias dolosasque persuasiones adhi-  
bere, alios conjunctos meliora meritos interdum præ-  
terire. & coniugi non merenti bona divina benedictione  
parta, veluti in prædam concedere.

§. XI.

Nunc a Jure Naturæ ad jura divina, civilia,  
aliaque & præsertim statutaria Gorlicensia transi-  
mus.

Cap.

— १०३ ( १ ) १०४ —

## CAP. III.

DE  
LEGIBVS DIVINIS CIRCA HOC  
ARGUMENTVM.

### §. I.

NEque vero divina oracula haec tenus demonstratis  
repugnant, prout multifariis exemplis probari  
potest,

### §. II.

Sed ne per circuitum & multis ambagibus quæramus, quod statim in oculos incurrit, perlustrandum est secundum caput Geneseos ejusque versus vigesimus quartus, quo firmissimum argumentum Theseos nostræ supra enunciatae invenimus; ibi enim Deus matrimonium instituens exprefse dicit, idcirco relicturus est vir patrem matremque & adhærebit uxori suæ eruntque una cœro; quæ verba Christus ipse Matth. XIX. 5. & Paulus ad Ephes. V. 31. repetierunt.

### §. III.

Ergo dicta a nobis Deum habent defensorem, nam si sunt una cœro, necessario ut una persona respici debent & sic conjux alteri præstare debet, quid, sibi præstari vult, quo facto æquitati satisfiet.

### §. IV.

Hoc principium viam præberet ad omnia officia conjugum sibi invicem præstanta, modo propositi nostri esset talia tradere, cum vero theses disputatorias tantum edere nisi simus, circa officia conjugum in testamento, reliquorum tractatione in præsentiarum super sedemus,

mus. Liberalitatem vero & gratitudinem, in ipsa quoque ultima voluntate sive testamento conjugum erga se invicem, se exerere debere, vel ex illa ipsa divinitus annotata arctissima coniunctione patet.

## CAP. IV.

### DE JVRE ROMANO CIRCA SVCES- SIONEM ET TESTAMENTA CONJVGVM.

#### §. I.

**R**omanii antiquitus sancte colebant matrimonia, \* 1. communionemque omnis juris sacri, \* 2. & profani, multo magis bonorum, \* 3. inter conjuges esse censebant. Vxor transibat \* 4. in manum sive potestatem mariti, erat illi loco filiae \* 5. Omnia tamen erant simul suavissime temperata, unde sponsa in limine domus sposo advertanti dicebat: *Si tu Cagus ego Caja.* \* 6. DOMINVS salutabatur maritus, vicissim tamen & uxor ab eodem DOMINÆ elogio excipiebatur. \* 7.

\* 1. Probant id imprimis nuptiæ per confarreationem contractæ, quibus & sacer Anistes, sive Pontifex interveniebat, & varia immolationes, imo & ipsa dierum quædam religiosa observatio. Ut v. c. nuptiæ non contraherentur mensis Mayo. De quibus omnibus BARNABAS BRISONIVS tractat. de Rit. Nupt. paulo post princ.

\* 2. Ex lege Romuli ut e DIONYSIO HALICARNASSENSI adfert BALDVIN. ad §. 1. de patr. potest. quamvis ANTON HOTOMANN. c. 25. de veter. rit. mpt. sacra publica a privatis hic curate fecernat, & tantum de ultimis sacris,

sacris, quæ pro familiis siebant, jura antiqua explicet.  
Alii autem, ut ARNOBIVS hoc institutum Numæ  
tribuant.

\*3. Exinde quoque deducunt juris consulti veteris ævi gnari,  
prohibitam donationem apud Romanos inter virum &  
uxorem, maritus enim jam suo jure erat dominus bo-  
norum uxoris, & hac domina bonorum mariti. Sicut pa-  
riter eidem rationi debetur, quod conjuges sibi furtum pro-  
prie dictum facere non possent, sed res tantum AMOVERE  
dicerentur.

\*4. Loca veterum recitat idem HOTOMANNVS c. 23. ubi  
Epigramma MARTIALIS : inferior matrona suo sit priſce  
marito, non aliter fiunt ſemina virque pares.

\*5. Ita lex, inquit VALENTIN. FORSTER. de ſuccēſſ. Lib.  
IIX. cap. 2. n. 27. mulieres nuptas, quidpe quæ non ha-  
bebant aliud, quo fe converterent refugium, cogebat  
folius mariti moribus fe attemperare ; viros etiam ſic  
habere uxores, ut rem neceſſariam nullamque diuelen-  
dam modo. Vnde GELL. L. XIIIX. Cap. 6. Matrem fa-  
milias appellatam eſſe, ait, quæ eſſet in mariti manu  
mancipioque.

\*6. PLVTARCH. in præcept. coniub. SIGON. L. I. Antiqu.  
jur Rom. c. IX. ARNISÆVS p. 379. de jur. coniub. Ex Epi-  
tomatore VALER. MAXIM. exponit quidem : CAJAM  
de bona lanifica, qua si nova iuxta ſuum circa lanifi-  
cium diligentiam marito testata fuifet BRISSON. p. 1040.  
tom. IIIX. apud GRÆV. mox tamen hac vocabula amoris  
fuifse & utrinque honorifica inter recentes conjuges, fateur.

\*7. Utelucescit ex ipſis legibus ff. I. uxorem de legat. III. I. Ti-  
tia §. qui Marco de am. ſegat.

### §. II.

Et quamvis tria a scriptoribus antiquitatum Roma-  
narum matrimoniorumque genera per CONFARREA-  
TIO-

TIONEM,\*<sup>1</sup> COEMTIONEM\*<sup>2</sup> & VSVM\*<sup>3</sup> commo-  
morentur, quorum prima duo maxime arcta erant, ter-  
tium laxius: attamen cogitandum est quod tertium  
quoque demum successu temporis accessisse & invalui-  
se videatur. Ut proinde nihil sit detrahendum dictis de  
matrimonii religione vetusta.

\*<sup>1</sup> De hoc PLINIVS Lib. XVIII. c. 3, in sacris nihil reli-  
giosius confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ  
farreum præferebant. Quo farreo deinde futuri conju-  
ges communiter in perpetuæ communis vitæ signari  
vescebantur, ut constat ex illis, quæ conduxit ROSIN  
*Antiquitat. Rom. p. 446.*

\*<sup>2</sup> Coemtionis formulam ex BOETHIO refert ANTON  
HOTOMANN. cap. 21. Mutua intercedebat interrogatio,  
an paterfamilias & materfamilias sibi invicem esse vel-  
lent, cum mutua responsione. Interveniebat etiam pec-  
unia, unde quædam mulieres stridulae, querulae queri-  
solebant, quod magna pecunia dñrum maritum sibi com-  
parassent.

\*<sup>3</sup> In hac nuptiarum classe, quæ mediante uxoris usu anno con-  
trahebatur, uxor non transibat in familiam mariti. Potissimum,  
pro remedio id adhibebant vidui, in gratiam liberorum  
prioris matrimonii, ne secunda uxor illorum hereditatem  
imminueret. Cum vero dura esset in hoc matrimoni-  
o uxor conditio, ut vel ex SALVIANO MASSILIEN-  
SI p. 134. constat, præcavebant illæ per usurpationem ante  
elapsum annum, ne a maritis usucarentur, id quod ab-  
sentiæ trium noctuum potissimum efficiebant RITTERSHVS.  
ad SALVIAN. p. 17.

### §. III.

Matrimonii utriusque antiqui tam per confar-  
reationem, quam per coemtionem sequela erat, ut  
uxores

— 15 —

uxores maritis, vel ex asse, si matrimonium improle, \*<sup>1</sup>  
vel pro dimidio, si liberi inde nati erant, succederent,  
Aequa profecto ratione justoque instituto. \*<sup>2</sup>

\*<sup>1</sup> De hoc asserto non dubitandum propter ea, quæ hic  
concesserunt, BRISSONIVS, HOTOMANNVS, FOR-  
STER aliique.

\*<sup>2</sup> Causæ facile, patent cum ex supra dictis, tum ex inti-  
ma conjugione, quam hæ nuptiæ inter conjuges pro-  
ducebant. Quamvis non negandum, quod utraque suc-  
cessio admissioque uxoris ad viri hæreditatem, ad re-  
gna, principatus, institutaque feudalia, commode trans-  
ferri nequeat, sed magis ad successiones reliquorum homi-  
num quadrat.

#### §. IV.

In ultima matrimonii specie, ut haud difficile  
erat divorcium, \*<sup>1</sup> ita ob laxius vinculum nulla quo-  
que noscebatur successio. \*<sup>2</sup> Vsque dum prætor  
sua bonorum possessione aliquatenus succurrere cœ-  
pit conjugibus. \*<sup>3</sup>

\*<sup>1</sup> De origine divorciorum apud Romanos difficilior inspe-  
ctio est, quam vulgo creditur, ut ostendit FRANCIS-  
CVS HOTOMANN. p. 234. obser. Nam Cicero ipsis  
XII. tabularum legibus eam adscribit, cum tamen vicif-  
sim DIONISIVS, PLINIVS, GELLIVS aliisque gra-  
vissimi autores, apud HVBER. in pralect. tit. de divorc.  
ipsiusque HOTOMANN. c. 1. de jur. matrim. testentur  
feculo sexto demum ab V. C. coram censoribus SP.  
CARVILIVM, præfrito juramento, quod ex præsenti  
conjuge liberos suscipere non posset, divertendi licen-  
tiā obtinuisse. Minimum itaque praxis divorciorum  
non attingit tempus LL. XII. tabularum. Pro gravitate ne-  
gotii, ad solvenda matrimonia per confarreatiōnem con-  
tracta, adhibebatur diffarreatio, novaque coram sacerdote im-

imminabuntur sacrificia vid. FESTVM b. v. de aliis mo-  
dis divortiorum. vid. RÆVARD. ad L. XII. tab. c. 21.

\* 2 Hoc jam ex ipso fine harum nuptiarum demonstra-  
vimus.

\* 3. Non quidem omni casu, sed tum demum si matrimonium  
liberis careat, deficiantque cognati.

§. V.

Ex his patet successionis quondam inter con-  
juges apud Romanos usitatæ ratio, quantumque pri-  
mis potissimum temporibus amorem ipso opere  
gratum ab illis erga se invicem exegerint. Neque  
successionem legitimam tantum hæc jura spectabant,  
sed mariti quoque uxores suas, vel heredes, velex-  
heredes in ipsis testamentorum tabulis scribere ju-  
babantur, ne ceteroquin rotum negotium, si præ-  
teritæ essent, nullum haberetur. \*1.

\* 1. Sane in binis matrimoniorum speciebus, prout supra  
ostensum, jam inter vivos conjuges, quædam condomi-  
ni species fibera, sanctissimis firmata pactis. Vnde he-  
reditas non aliter ad uxores, quam ad suos heredes re-  
liquos devolvebatur, illæque cum his æquam sibi par-  
tem vindicabant vid. testimonia veterum apud BRIS-  
SON. p. 1023. tom. IIX. GRÆVII. Imo quoties confar-  
erationis religionem, coemtionis strictissimum vinculum  
apud animum reputo, difficiliorum fuisse exclusionem uxo-  
rum, quam liberorum verosimiliter suspicari cogor.

§. VI.

Introducta, magis ac magis corruptis Roma-  
norum moribus, divertendi licentia, religioneque  
matrimonii susque deque haberi cæpta, sua sponte  
evanuit quoque conjugum circa testamenta, quon-  
dam observandum, laudabile officium.\*

Cum

\* Cum enim usque eo increbuissest mos divertendi, ut faminarum levitas atatem suam, ut ex scriptoribus Romanis constat, non amplius fastorum ope, sed per divertitorum numerum metirentur, suspicio, refrigerescens amoris, ingratitudo & alia ejusmodi vitia succreverunt.

### §. VII.

Conservarunt tamen quidam ad bonum honestumque compositi conjuges, quasdam veteris instituti reliquias, testamenta reciproca inter se condendo.

### §. VIII.

Novimus quidem a variis varie propugnari & sustineri, quod Romani usum testamentorum conjugum reciprocum nec admiserint, \* i nec facile secundum sua principia admittere \* 2 potuerint. Attamen dissentientium opinio nobis magis probabilibus rationibus niti videretur. \* 3

\*1 Sic ANTON. FABER. in C. decis. pcedem. Lib. VI. tit. V. def. 18. circ. fin. post varia disputata concludit tandem, quod inde fiat, ut in libris juris nullum extet aut exemplum, aut vestigium hujusmodi testamentorum, quæ sane alia ratione etiam viderentur nullius esse momenti. Consentunt VILLIUS, VINNIUS ad Inst. tit. de testam. ordin. quos citat & sequitur HVBER in praedict. ad tit. ff. qui testam. facer. poss.

\*2 Rationem potiorem in eo sibi querunt, quod ejusmodi testamenta sint captatoria, jam vero ex jure notum esse, quod conditio captatoria testamentum reddat nullum vid. Faber. d. I. SARMIENT. apud MEV. ad jus Lubeck. II. tit. I. Art. X. n. 2.

\*3 Possemus facile sententia nostræ exinde patrocinium conciliare, (1) quod haec opinio sit communis vid. Dd. apud MEV. del. 2. quod doctrina Romanorum de conditione

tione captatoria plane non conveniat moribus nostris, supponatque (1) testamentorum recitationem publicam, apud nos plane inauditam (2) mores italorum ad venena captato paranda pronissimos, ceu abunde probavit *illustr.* THOMAS. *diss. de condit. captator.* imo (3) si ullum robur inesse rationibus contra conditionem captatoriam, ex iis consequeretur, quod nostra successio conventionalis eodem argumento explodenda sit, quo quondam Romani illam e Latio proscripterunt. Sed placet alio adhuc argumento, pro Peckio qui *L. i. c. 19. de testam. conjug.* & *paffim.* testamenta reciproca tuerit, uti, nempe quod non omnis conditio captatoria apud Romanos fuerit reprobata, ut evidenter commonstrat *illustr.* THOMAS. *d. l.* Nam ea demum conditio captatoria testamentum vitiat, qua infidiarum vita suspicionem inducit, atqui talis inter conjuges candide & sincere testantes evidenter cessat.

### §. IX.

Ait nova suboritur questio, an conjux reciprocce cum conjugi testatus, possit altera parte jam defuncta, testamentum suum immutare. Nos paucis dicimus posse secundum ius summum, non autem secundum æquitatem, nec secundum rationes juris germanici. \*

\* Difficilem & intricatum casum hic sifit ANTON. FABER. *d. l.* atque ut legenti facile patebit pro ejus solutione tantum non in omnes formas se torquet. Ratio affirmantium palmaria est, quod omne testamentum sit revocabile, adeoque illius conjugis, qui primum fato cessit simplicitati imputandum, sit, quod non alia via aggressus sit, alterius levitati frenum injicere, quam reciproco in omnes horas mutabili testamento. Ita sane ipse, quem suo merito magni facimus CARPOV.

PZOV. defin. 12. Constat. II. p. III. FABER. d. l. PECK.  
 L. I. c. 43. Ast hæc ratio non ratiocinium, sed increpationem pro imperio sapit. Vnde cum hoc casu, quo conjux conjugis mortui bona ad se jam rapuit, nos potius dicimus subesse rationem juris gentium, ne quis commodum felicit ex alicuius actu, per se aut minimum intentione agentis individuo, rejeclto onere aut incommode. Sane videtur hic subesse species quasi contractus & obligationis manifesta ex æquitate resultantis, quaer suadet, ut si quis approbet voluntatem mortui in sui favorem & commoditatem, ut quoque commoda a sua parte mortuo in testamento promissa veluti, vicissim præstet. Imo paucis; inter viros honestos mutatio testamenti reciprocum, post mortem alterutrius testantis regulariter habet speciem doli, vid. omnino. illustr. THOMAS. d. l.

## §. X.

In gratiam tamen rixantium præstat cautelis contra revocabilitatem testamentorum uti, & quidem vel iis, quas suppeditat, PECK. c. 43. III. 21. vel in pactum reciprocum moribus citra controversiam irrevocabile, totum negotium resolvere.

## §. XI.

Nominatum favor conjugis testantis respectu secundi conjugis aliquatenus in jure nostro restrictus est, ut scilicet huic in testamento non plus relinquit, quam uni ex liberis prioris matrimonii. Quod jus æquum, \* 1 nec mihi apud nos cessare videtur, \* 2 nisi ubi praxis contrarium receperit.

\* 1 Initio observandum hoc jus non continere pœnam proprie dictam secunda vice nubentis, sed tantum affectum illius moderari, ne luxurioso plus amet novum conjugem. quam e priori thoro natos. Nam quod cum thoro sape

mutetur naturalis parentum inclinatio jamdiu viderunt  
majores nostri unde parœmia: Wenn die Henne wieder  
zu dem Hahne kommt, vergisst sie ihrer Jungen, de qua  
HERT. p. 523. Vol. 1. tom. III.

\*2 Nec obitant cap. 3. 4. X. de secund. nupt. Nam (1) ibi pro-  
vocat papa ad Paulum apostolum, qui secundas nuptias  
quidem declaravit pro licitis, attamen legibus bonis, quæ  
e rationibus politicis temperamentum adjiciunt, non  
contradixit (2) papa vidit, quod cum poena infamie non  
possit consistere secundarum nuptiarum honestas, ergo  
hanc sustulit, quod vero nulli plane hic moderamini locus  
sit, affectuque omnia indulgenda sint, id nec circa nu-  
ptias secundas papa vidit, nec videre potuit (3) patet ex  
c. 67. X. de appell. quod papa circa secundas nuptias omni-  
bus legibus poenitibus derogare noluerit vid. omnino  
GONZALEZ ad cit. cap. ibique alleg. Ut taceam (4)  
quod inter jus civile & canonicum non sit facile admit-  
tenda per interpretationem extensivam discrepantia,  
ita decernente ipso papa in princ. X. tit. de nov. oper. nunc.  
Interim in Saxonia & vicina Marchia totus titulus l. de  
sec. Nupt. teste BRVNNEMANN. in not. ad l. f. C. d. & usū  
non servatur.

CAP. V.  
DE  
JVRE GERMANICO IN HOC  
ARGVMENTO.

§. I.

**E**Adem quæ Romanorum priscis temporibus, majo-  
rum quoque nostrorum fuit circa jus matrimonii  
philosophia. Scilicet quod totum hoc negotium consiste-  
re

re debeat in societate maris & fæminæ perfecte sibi bene  
cupientium & ad unum scopum communis felicitatis  
agentium.\*

\* Testis est hujus rei TACITVS de M. G. p. 28. apud  
SCHARDIVM ubi laborum, periculorum, plane præ-  
liorum omnisque fati communionem, inter conjuges apud  
Germanos commemorat. Adoptasse quoque Germanos  
ipsum coemtionis ritum circa nuptias suas quon-  
dam e Fredegario, Marculfique formulis compro-  
batum dedit LINDEBROG. ad tit. 48. L. Salic. nec inco-  
gnitum fuit institutum nominatum Wisigothi vid. L. III.  
tit. 4. c. 2. 7. *Wisigothi.*

### §. II.

Communi utriusque conjugis consilio res pleræ-  
que alicuius momenti gerebantur, præcipue alienatio-  
nes bonorum & translationes. Non pervetustis tantum  
temporibus, sed & illo ævo quod medium dicimus.\*

\* Vid. rem in compendio exhibitat in *dissert.* HENNII de  
*jur. agricult.* p. 56. in *not.* ipsi Imperii proceres, & nobiles  
non aliter verfati sunt in alienationibus confer diploma co-  
misi Ascaniæ p. 435. apud KETNER. & aliud JORDANI  
de NEVNDORP pincernæ p. 437. *ibid.* Nunc consensus  
uxoris generatim fiebat mentio, nunc ipsæ chartæ, utrius-  
que conjugis nomine conscribebantur.

### §. III.

Plane cæsares & imperatores blandissima adhibe-  
bant pro uxore compellanda vocabula: CONTECTA-  
LIS, CONTHORALIS, \*<sup>1</sup> REGNI ET THORI  
SOCIÆ, \*<sup>2</sup> CONSORTIS IMPERII, \*<sup>3</sup> CONSOR-  
TIS REGNI ET THORI, \*<sup>4</sup> & si quæ alia sua-  
vissimus conjugalis amor subministrabat.

\*<sup>1</sup> Diploma recitat BVCHEL ad HEDAM p. 123.

C 3

\*<sup>2</sup> Te-

- \*<sup>2</sup> Testis est charta Henrici IV. p. 137. *ibid.*
- \*<sup>3</sup> Ita Wido appellat suam Ageltrudem t. II. p. 191. *Ital. sacr. apud VGHELL.*
- \*<sup>4</sup> Probat hoc diploma Henrici III. p. 365. *apud HVND. in metropol.*  
§. IV.

Neque vero quoad privatos ratio instituti erimus  
quærenda conservavit nobis eandem SPECVLATOR  
patrius SAXO, quod scilicet bona communia crederen-  
tur. \*<sup>1</sup> In regno autem & principatibus communis suo  
modo esset administratio. \*<sup>2</sup>

\*<sup>1</sup> In disert. L. I. Art. 31. Mann und Weib haben kein ge-  
theilet Gut.

\*<sup>2</sup> Præcipue cura camerae ad reginas, sub Francis perti-  
nebat. Ita enim HINCMARVS epist. VII. c. 22. de hone-  
estate vero palati, seu specialiter ornamento regali, nec non  
de donis annuis milium, ad REGINAM præcipue & sub ipse  
ad CAMERARIVM pertinebat &c: Probant quoque com-  
munem administrationem jam adducta §. 2. ibique in nos-  
add. diploma Ottonis I. N. XCVII. sub Trier apud LV-  
NIG. in Spicileg. Vnde formula quoque, contecalem ad thorum  
& imperium associare & sublimare cit. dipl. Iem alia formula; in-  
tervenit monituque conjugis nostrae.

§. V.

Merebantur uxores istius ævi sua solertia inde justa  
ratione ut, non tantum ab Imperatoribus amplissima do-  
te \*<sup>1</sup> ornarentur, sed ut quoque in specie quoad succes-  
sionem sue collaborationis præmium perciperent. \*<sup>2</sup>

\*<sup>1</sup> Vid. idem diploma apud LVNIG & aliud Henrici III. p.  
269. *ibid.* ubi ad hanc imperialem dotem nominatum abbatis  
Sti Maximini in suburbio Trevirensi sita refertur.

\*<sup>2</sup> Verba capitulo IX. Lib. IV. p. 892. apud LINDEBRO-  
GIVM ita fluunt: *Volumus ut uxores defunctorum post  
obitum maritorum, tertiam partem collaborationis, quam simul  
in*

In beneficio colaboraverunt, accipiant & de his rebus, quas is, qui illud beneficium habuit, aliunde adduxit, vel comparavit, vel ei ab amicis suis collatum est, has volumus tam ad orphanos defunctorum, quam ad uxores eorum pertinere.

§. VI.

Servat hoc institutum successionis, ut alias priscos laudabiles mores plures, hodienum hinc inde inclyta inferior Saxoniam.\*

\* Vnde proverbium: Langer Leib länger Gut. Item das lechte thut die Haushülf zu.

§. VII.

Quod spectat successionem testamentariam, ea quidem inter conjuges in Germania non fuit adeo usitata, interim pactis saepius hereditas conjugi a conjugi addicebatur. \*

\* Formula nubentium antiqua est: Die Sterbens-Halle an belangend, so sezen beyde verlobte Personen Huth bey Schleyer, und Schleyer bey Huth alles treulich und sonder Gefährde vid. de hac formula disserit. WERNERI Marpurgi A. 1714. habitam. Sensus est ut liberis deficientibus conjux conjugis defunctæ bona ex alse consequatur.

§. VIII.

Ceterum hos mores, Germaniam hinc inde miserasse, \* non imus inficias, laudi eorum tamen exinde nihil decedit: verum pergamus ad jura patriæ nostræ civitatis Gorlicensis.

\* An uxorum, an maritorum, an utrinque sextis vito, an quod utriusque tolerabilius, TEMPORVM, ut in odiosis loquimur infelicitati tribuendum sit, alii dispiciant.

CAP.

## CAP. VI.

DE

### JURE STATUTARIO GORLICENSI.

§. I.

IN his Statutis, statim in Articulo 27. quo de testamen-  
tis agitur, convenientiam nostri Cap. II. invenimus,  
& ut verba ipsa apponam, haec ita fluunt: Erstlich mag ein  
jeder ohne sondere Solennität und Herrlichkeit des Rech-  
tens ic. sein Testament und letzten Willen vor einem  
Schöppen oder Raths-Manne und Notario ordnen und  
sehen/jedoch dergestalt/dass er sein Gemüthe und Beschluss  
mit klaren und verständigen Worten selbst anzeigen. Hoc  
ergo de testamentis nuncupativis.

§. II.

Nunc etiam videbimus quid juris sit in testamen-  
tis scriptis clausisque de quibus Artic. 38. solches soll er  
mit eigener Hand schreiben/ oder einen andern mit klaren  
deutlichen Worten schreiben lassen/ und dasselbe mit seinen  
eigenen oder eines andern Peitschaft verschlossen und vor  
einen edlen Rath bringen; quoniam vero imbecillitas  
corporis interdum impedimento existit, ne testator ipse  
curiam intrare possit, & judicii persona testamentum  
tradere, anno 1619. a Magistratu conclusum est, ut ad  
instantiam testatoris e collegio Magistratus Scabinus,  
cum Notario ad eum delegetur, cui ultimum elogium  
condens insinuet testamentum, deinde a delegatis ipsi  
magistratui in confessu offerendum.

§. III.

Imo in favorem testamentorum adhuc benignio-  
rem sententiam edidit, ut si quis præter spem morbo  
affice-

afficerentur, & se ad diem fastum sive juridicum non  
victurum crederet, liceret illi, a Consule regente, pe-  
tere ut duos Senatores, cum Notario delegaret, ad te-  
stamentum suum accipiendum velutique solemnisan-  
dum, cui perito & statim defertur.

§. IV.

Hæc de condendis testamentis, quo satis perspi-  
citur, hujus loci statuta omnino favere testamento,   
ultimoque officio, huic illive, tempore mortis, præ-  
stando imo & passim viam munire atque media suggere-  
re ultimum elogium rite valideque condendi.

§. V.

Articulo 42. Legitima conjugum confirmatur, cuius  
verba initialia ita decurrunt: Nachdem es auch billig  
dass Ehe-Leute einander wegen ihrer ehelichen Treu und  
Pflicht bedenken sollen &c. & porro ordnet ein Mann ein  
Testament und hat Kinder, so soll er wenigsten der Frau  
Kindes-Theil\* i vermachten/und über das noch eine mäßige  
Prærogativam, nach Gelegenheit seines Vermögens  
und ihres Einbringens. Lässt er aber keine Kinder und hat  
Eltern\* 2 und Geschwister, mag er sein Weib bis in den  
4ten zten oder halben Theil seiner Güter zur Erbauung  
instituiren. Desgleichen ist das Weib schuldig ihrem  
Manne den halben oder wenigstens den zten Theil ihrer  
Güter zu verlassen/ohne Unterscheid/ es seynd Kinder/oder  
andere Erben vorhanden oder nicht.

\*1 Rechte atque secundum indolem coniunctissimæ societatis  
marito hoc injungitur. Agnovit æquitatem Lutherus quem  
supralaudavimus. Hic enim postquam prædium suum adlibe-  
re utendum fruendumque uxori destinaverat addit: ich will,  
sie müsse nicht den Kindern, sondern die Kinder müssen ihr in die  
Hände sehen.

\* Adscendentium successio varia fuit apud Romanos, nunc ex aße, nunc plane nulla, nunc in partem cum fratribus. Statuta nostra æquissime illis adjunxerunt conjugem plane in successione testamentaria.

S. VI.

Sed videamus quoque modum successionis conjugalis ab intestato. Nam vero hoc casu aut nulli adsumt liberi, aut adsumt, de primo agit Articul. 44. stirbet der Mann vor dem Weibe mit welcher er in stehender Ehe keine Kinder gezeugt / so soll alsdann nach volliger Bezahlung der Schulden / seine hinterlassene Wirtin/ die ganze vollkommene Grade, an Kleidung / Elenodien und allen andern so vermöge der Stadt Willkür zur Grade gehöret (de quo vid. §. II.) zuvoraus/ frey und ledig empfangen / und überdis alles/ soll sie in des Mannes Verlässenschaft / und allen seinen Gütern/ liegenden und fahrenden / wie es Namen haben mag den halben Theil hinwegnehmen/ dem übrigen halben Theil aber des Mannes Eltern/ Geschwistern oder andern Freunden zukommen lassen. Stirbet aber das Weib vor dem Manne gleichfalls ohne Leibes-Erben/ so behält der Mann gleicher Gestalt/ alle seines Weibes Kleider/ Elenodien / und was sonst Gerade ist. Item alle fahrende Habe/ woran die ist/ außerhalb der Baarschaft/ desgleichen was nach Ordnung der Rechte zum Hergeräthe und Hand-Werck des Mannes gehöret/ sein eingebrachter erbet und erworben Gut / aber in des verstorbenen Weibes zugebrachten Gütern/ soll der Mann den halben Theil nehmen/ und den nächsten Freunden den andern halben Theil folgen lassen.

S. VII.

Hæc omnia Jura adjudicant, sine collatione bonorum

rum facta, quæ & in praxi obtinent, uti casus, 1605 extitit,  
ubi vidua Francisci Vtmanni præter illata, geradam & di-  
midium hæreditatis defuncti maritii accepit, eodem  
modo 1644. Viduae Hoffmanni Gerada, & dimidia pars  
honorum defuncti præter illata, adjudicata sunt.

§. VIII.

De secundo casu quando liberi adsunt, Art. 45, dicit,  
sterbet der Mann / und hat mit seinem Weibe Kinder ge-  
zeuget/ und vielleicht sie zu beyden / oder eines auch Kinder  
zuvor gehabt so noch am Leben / so soll es zu des Weibes  
Willkür stehen / sich ihres eingebrochenen Gutes zusamt  
der halben Gerade und ihren Weiblichen Schmuck zu hal-  
ten / oder mag zu Kindes Theil greissen / der ihr auch zu-  
samt der halben Gerade gesolget werden soll.

Dagegen soll nach dem Tode des Weibes der Mann in  
ihren eigenen Gute den dritten Theil samt der halben Ge-  
rade bekommen / und die andern zwey Theile ihren Kin-  
dern folgen lassen.

§. IX.

Propter obscuritatem hujus articuli, interpretatio-  
nem Juris Consult. Lipsiens. e responso Anno 1620, con-  
cepto adjiciam: Dirweil ihr mit euren abgelebten Man-  
ne keine Kinder erzeuget / und aber angezogenes Statuti  
Buchstaben/vom Fall wenn ein Mann versterbet und mit  
seinem Weibe Kinder gezeuget handelt ic. so send auch ihr/  
an dein/ was euch vermdige gemeiner Sächsischen Rechte  
aus eures Mannes Verlassenschaft gebühret/euch beginn-  
gen zu lassen schuldig und also Kindestheil zu fordern nicht  
besuqt; Annon vero favorabilior sententia speranda  
fuisse, ex Art. 44. (in §. 6. cit.) non perquiram.

§. X.

Durior \* mihi videtur hæc decisio ni aliquatenus

D 2

con-

conjnx præstitorum officiorum memor testamento temperet eandem. Nam finge casum sit viduus, qui ex priori matrimonio liberos habet, hic dicit virginem ætatis mediocris, diebus vero nuptialibus peractis, a morbo affligitur maritus, quo aliquot per annos laboret deinde mortis fit præda, tali casu uxor, quæ per aliquot annos marito morboso adstiterit, ac præstanda præstitit, præter illata nihil, nisi dimidium geradæ, petere potest, si ergo plurima ad geradam pertinentia defunt, fere nihil habet pro solatio.

\* Pervidit hoc ipse Imperator Rudolphus secundus cuius chartam infra recitabo.

### §. XI.

Ad Geradam jure statutario Artic. 54. pertinent, alle Weibliche Kleider/ Nöcke/ Mantel/ Schauben/ Hunde/ Kittlichen/ Badehüllen/ Hals-Koller/ Schleyer/ Hauben/ Bärlein/ Flecklein/ Stirn-Tücher/ Schürch-Tücher/ Beutel/ Wetschken und alle Kleider/ damit sich Frauen und Jungfrauen zur Nothdurft pflegen zu kleiden.

Item alle geschnittene Leinwand ohne Gefährde/ Flachs/ Garn/ Werck/ Spillen/ Ricken/ Weisse/ eine Elle/ ein Spiegel/ eine Scherelein/ sechs Bettte/ drey Pfühle/ drey Küsschen überzogen/ sechs Bettücher/ zweo Wochen Ley-Lachen/ eine seidene Decke/ eine Decke von Garne/ ein Tepyicht/ ein Banc-Blatt/ ein Vorhang/ ein Umhang/ sechs Tisch-Tücher/ sechs Hand-Tücher/ eine Brau-Pfanne/ ein Kasten/ eine Laden/ ein Wasch-Kessel.

Ferner alles gewürckte und gearbeitete Silber u. Gold/ damit sich Frauen u. Jungfrauen zu zieren pflegen/ (worunter auch nach eines edlen Raths Decision so 1598. gegeben worden/ eine guldene Kette und Armband gehörte) es

es sey an Gürteln/Hestlein/Ringen/(die Trau-Ringe aus-  
geschlossen) Pater noster/Haar-Band/darzu alle aufgehaf-  
tete Perlen/an Kronen/Bändlein/G:flitter &c. und an al-  
len Schmuck der den Weibern und Jungfrauen zutragen  
zugelassen ist/ was aber aus diesen Stücken nicht dar ist/  
darff man auch nicht geben.

§. XII.

Erunt hæc, quæ Jus Municipale Goricense circa  
officia conjugum in condendis testamentis observari  
vult, liquet vero in his citatis Articulis nondum plenarie  
satisfieri principiis Capitis II. quia de causa adhuc privi-  
legium a Rudolpho secundo concessum apponam, quod  
conjugibus libertatem dedit, superstitem, absentibus li-  
beris heredem omnium bonorum conscribere, conscri-  
ptum est Prague 1579. & gratitudinem etiam fundamento  
habere hæc verba indicant: Damit ihm aber (dem Man-  
ne) gar nicht verboten und verschrent sey/ seinem getreu-  
en frommen Weibe um ihres frommen Verhaltusses  
willen non extantibus liberis auch ein mehrs als den hals-  
ben/ dritten oder vierten Theil/ ja sein ganz Gut zu ge-  
ben &c. interpretiren erkennen und declariren bemeldeten  
Articul der Willkür von Testamenten zwischen Ehe-  
Leuten/ aus Römischer Kaiserlichen Macht solcher maß-  
sen/ daß nemlich ein Mann seinem Weibe/ und das Weib  
ihrem Manne/ im Fall weder Kinder noch Eltern vorhan-  
den/ mehr denn dem vierten/dritten oder halben Theil/ und  
da es ihr Wille und Meinung auch ein Theil dem andern  
sein ganz Gut geben und testiren möge/ und daß die Ge-  
schwister darein nicht zu sprechen oder zu reden Macht ha-  
ben sollen noch mögen.

§. XIII.

( 30 )

§. XIII.

De observantia hujus privilegii in Praxi testatur definitiva Magistratus sententia 1602, ad instantiam viduæ Friderici Feuerbachii & fratri ejus data: Dass es Klägers Einwendens ungeacht bey höchstgedachter Ihro Majestäts Erklärung der Willkür billig verbreitete und des Klagenden Geschwisters quærela de competente legitima nicht statt finde; also beklagte Wittib bey dem Testamente billig gelassen würde.

§. XIV.


Statutis Gorlicensibus non in vulgus editis, hos Articulos ex illis excerpere & Dissertationi inserere proposito meo necessarium judicavi; cuilibet nunc, si scire desiderat, an assertum, §. I. Prolegom, insertum, verum an falsum sit, conciliationem, Capite IV. & hoc V. recentiorum Jurium, cum principiis Cap. I. & II. positis instituere relinquo, si vero, Jura maritis quam feminis, præprimis in materia hereditatis, præiora esse, observabit, ei Dicterium Oweni commando:

Juris Prudentes, prudentes jure vocantur,  
Tam bene cum studeant, provideantque sibi.



SIX. 2





X2424248

V078

ULB Halle  
006 771 149

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches  
Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

Farbkarte #13

DISSE<sup>97</sup>TATIO IN AVGURALIS JVRIDICA

DE

# AEQVITATE SVCCES<sup>1719,5C</sup>S<sup>21</sup>SIONIS CONJVGVM

QVAM

PRAE<sup>1719,5C</sup>SIDE

## JO. PAVLLO KRESSIO

J. V. D. ET P. P. ORDINIS SVI JAM DECANO

PRO CAPESSENDIS IN VTROQVE JVRE  
SVMMIS HONORIEBV

PVB<sup>1719,5C</sup>LICE ERVDITORVM EXAMINI  
SISTIT

## JO. GVILIELM GEHLER

GORLICENS. LVSAT.

IN JVLEO MAJORI ACADEMIAE JULIAE

A. MDCCXIX. DIE SEPT. XXX.

---

HELMSTADII  
TYPIS BUCHHOLTZIANIS.  
RECVS. MDCCXXXV.

